



BRILL

---

De signis criticis in edendo adhibendis

Author(s): B. A. van Groningen

Source: *Mnemosyne*, 1932, New Series, Vol. 59, Pars 4 (1932), pp. 362-365

Published by: Brill

Stable URL: <https://www.jstor.org/stable/4426628>

---

JSTOR is a not-for-profit service that helps scholars, researchers, and students discover, use, and build upon a wide range of content in a trusted digital archive. We use information technology and tools to increase productivity and facilitate new forms of scholarship. For more information about JSTOR, please contact [support@jstor.org](mailto:support@jstor.org).

Your use of the JSTOR archive indicates your acceptance of the Terms & Conditions of Use, available at <https://about.jstor.org/terms>



JSTOR

Brill is collaborating with JSTOR to digitize, preserve and extend access to *Mnemosyne*

## DE SIGNIS CRITICIS IN EDENDO ADHIBENDIS.

SCRIPSIT

B. A. VAN GRONINGEN.

---

Huius anni mensis Septembris initio Lugdunum Batavorum convenerunt non solum multi, quibus res Orientis curae sunt, sed etiam papyrologiae studiosi. Qui de multis gravioribus levioribus inter se egerunt, necnon unam rem tractaverunt quae ad cunctos philologos pertinere visa est. Itaque breviter de ea etiam in Mnemosyne scribere mihi liceat. Est autem ea usus signorum, quae in scriptis graecis latinisque critice edendis adhibenda sunt. Nec supervacaneum erat de usu illo constituendo disputare, cum non una eademque via ratioque utendi in editionibus inveniatur.

Hoc primum et maximum ab initio constabat: nempe necessarium esse omnes, si fieri possit, posthac in omnibus semper idem agere. Sunt textus litterarii, sunt praeterea documenta; quae duo scriptorum genera inter se certe multis differunt, tamen iisdem signis criticis adornari possunt. Et, ni fallimur, debent. Quid enim nunc fit? Eadem libri pagina citantur nonnunquam locus auctoris, sententia e documento papyraceo sumpta, fragmentum inscriptionis; incerta si sunt in his tribus, ter aliam rationem ea significandi ante oculos habebis. Editionem auctoris si evolvis, cuius opera partim codicibus medii aevi, partim papyris servata sunt, idem signum in illis aliud significare quam in his non sine admiratione videbis.

De his rebus iam egerunt in egregio opusculo, cui titulus: *Avant-projet d'une brochure traitant de l'emploi des signes*

*critiques et de la rédaction de l'apparat critique dans les éditions savantes*, viri doctissimi J. BIDEZ Gandavensis et A. DRACHMANN Hauniensis, quibus munus condendi a Societate Academiarum iniunctum erat. Ab iis profecti, postquam etiam aliorum dissertationes audiverunt, papyrologi signorum criticorum indicem constituerunt, id agentes, ut quam minime ab usu praesenti discederent, quam maxime editoribus lectoribusque et ipsis textibus consulerent. Quamquam, ut papyrologi, de textibus papyraceis ante ceteros egerunt, tamen sperant fore ut etiam ii, qui scripta litteraria et inscriptiones edituri sint, eam rationem adhibere velint. Quod sperant quia sibi videntur condidisse rationem simplicem, sanam, probabilem, et quia unitas etiam in parvis tantopere prodest, ut omnes pro virili parte adiuturos esse, etiam, ubi necessarium, aliquid laboris molestiaeque libenter sibi ipsis imposuituros esse credant.

Signa igitur sunt haec; quae quidem omnia in *documentis* edendis, non omnia in *auctorum* editionibus necessaria erunt.

1. Litterae dubiae vel tantopere corruptae ut, nisi contextus praesto esset, variis modis legi possent, puncto supposito notentur:  $\alpha \beta \gamma \delta$ . Non iam usurpentur lineolae subscriptae iis litteris quae fractae quidem, attamen lectu certae sunt.

2. Loco litterarum singularum, quarum vestigia ne contextu quidem adiuvante leguntur, sed quarum numerus notus est, ponantur puncta singula, aut, si numerus maior est nec quicquam obstat, ipse numerus scribatur: . . . . aut — 20 —. Numerus si non prorsus, tamen paene certus est, dubitationis signum numerum verisimilem praecedat:  $\pm 20$  —. Fieri non potest, quin litterarum quarum vestigia aliqua remaneant, numerus certus vel dubius detur.

3. Materia inscripta (lignum, papyrus, tessera, lapis, charta, cetera) saepe deficit, sive longa aetate destructa sive consulto olim deleta. Loci, quibus pars servata a parte tradita separatur, indicentur uncis rectis; si pars sinistra deest, sufficit unus ], si dextra [, si media necessarii sunt duo

[        ]. Nec quicquam addendum est, si spatium perditum ignotum est.

4. Litterarum tali vitio perditarum numerus si certus est aut paene certus, iterum, ut ipsa ratio poscit, punctis vel numeri nota eae exprimantur, iisdem uncis rectis circumdatae ita: [. . .], [— 20 —], [± 20 —].

5. Si talia, quae perierunt, supplere potes, puncta vel numerum demoveas ipsaque verba litterasve, uncis ut par est servatis, scribenda cures [α β γ δ].

6. Lacuna exstat, cum scriba necessaria omisit. Eam alias notare tantum, alias etiam supplere valebis. Notabis autem, si papyrologos audiveris, uncis angulatis <        >, supplebis iisdem angellis, omissa interponens <α β γ δ> <sup>1)</sup>.

7. Compendia solvantur in uncis curvatis (        ); solutio si dubia sit, interrogationis signum addas (α β γ δ?), quod simplicius quam singulis litteris puncta supponere (α β γ δ). Compendia solvenda cum in solis documentis occurrant, in scriptis litterariis parenthesin, sicut antehac, continere poterunt tales uncis.

8. Interpolata vocamus ea, quae scriba errore vel consulto de suo addidit, a textu ipso aliena sunt. In quibus exprimendis maxima inconstantia est. Electum est signum brachiorum } }, vel si mavis stilo paulo severiore uti [        ], ita ut scribatur {α β γ δ} aut } . . . { aut {α β γ δ}, prout legi, non legi, dubie legi possunt interclusa.

9. Litterae consulto erasae in papyro chartave exsculptae in lapide, unctis rectis duplicatis designentur ita [α β γ δ] aut [ . . . ] aut [α β γ δ], iterum pro re nata. Etiam, si mavis, tibi licet in textu ipso documenti nil notare signumque

---

1) Per papyrologos tibi, si placuerit, licebit usurpes ad lacunas indicandas tantum stellulas \* \* \*, quae passim iam in usu sunt, dummodo agatur de textu litterario. Equidem mihi optabilius videtur unum signum uni usui adaptare, stellulasque, quibus lacunam suppletam numquam exprimere poteris, etiam in lacuna notanda ubique angellis postponere.

omittere, dummodo in apparatu critico deleta diligenter recenseas.

10. Necessaria si inter lineas addidit scriba nec facile est ea in editione quoque inter lineas exhibere, praesto erunt lineolae obliquae `α β γ δ`, quibus adhibitis ipsa vocabula addita in linea ponentur.

11. Loca corrupta necdum sanata in textibus litterariis, viris doctis BIDEZ et DRACHMANN auctoribus, poteris notare cruce in margine addita. Documenta cum saepe ipsa crucis signum passim offerant, corruptionum causa novam crucem minime ferent. Hac in re igitur solus apparatus criticus documentorum lectorem certiore faciet.

12. Postremo correctiones tractabimus. Hic longius distant documenta et auctorum opera. Illa semper et ubique ad verbum imitanda, quo fit ut in ipso exemplari edendo etiam corruptissima intacta remanere debeant; apparatus autem criticus iterum correctas praebabit. Haec contra, quippe quae ipse auctor sine mendis vitiisque scripserit, correctas lectiones requirunt nec nisi in apparatu critica fontium errores ostendere possunt. Signum separatum igitur ut constituatur nihil causae est.

Haec sunt duodecim papyrologorum de criticis signis pronuntiata <sup>1)</sup>). Si recte spectas, vides tibi, litteraria scripta cui cordi sunt, in solis interpolationibus notandis aliquid molestiae inesse, cum non iam [ ] sed } { usurpare te rogemus. Nonne multo minor ea molestia quam illa, quae nunc quotidie e confusione signorum tibi oritur?

---

1) Ampliora de his rebus te docebunt ipsa acta conventus, quae mox cura viri docti M. HOMBERT publici iuris fient in diario Belgico cui inscribitur *Chronique d'Egypte*.